

A Hippocrates enim libro quem ad sententias Cnidias scripsit, helleborandos principio ægros ordinauit, ultimū adiutorium cæteris anteponeus. Dat præterea panem ita curatum, ut neque ab hominibus recte ualentibus posse digeri facile uideatur. Item pulentum, atq; foenigræci semina, cum sint hæc qualitate contraria: alia enim astringunt, alia relaxant, & nulli adiutorio tempus adiunxit. Dioscles quoq; libro quo de passionibus atq; causis, & curationibus scripsit, prouidens siccandum corpus urinalibus medicaminibus, utendum iubet quibus non solum humor uentris sicari minime posse perspicitur, uerū etiā uesica in morbos cogi inuenitur. Item Erasistratus tertio libro de uentre prohibet cibos digestibiles ac nutritibiles, æstians hæc facile posse corrumpi, nō coniiciens quoniā omni ægrotanti digestibilium rerum usus conuenire perspicitur: quo minime & in labore mediæ partes, quibus digestionis celebrantur officia, cogi uideantur officia. Prohibet præterea specialiter lenticulam, atq; mala cydonia, & si quæ similis fuerint uirtutis, quo una uoce omnem congruam uideatur recusare curationem: Nutribilia etenim, quæ ob resumēdas uires principalē tenuerunt locū, superflūū est, ut æstimat, adhibere. Lisius etiā quarto libro Tardarum passionū principio adhibendum uomitū post cibum probat. Sed cum noua ac recens in corpore fuerit passio, sine dubio dupliciter nocens: primo quod intemporaliter, etenim nouellæ passiones suasu quodam, & non agitatione uehementi sunt depellendæ: dehinc quod incongruæ, siquidem sit uomitus post cibum grauabilis capiti. Inquit præterea: si humoris perseuerauerit fluor, atq; longo tardauerit tempore, & typico motu uentrē fecerit humectari, occursibus periodicis tribus uel quatuor interpositis diebus uentrem conuenit prouocare. Vnde plurimū etiā hæc offerendum probant, quod schiston appellatur, siue catarticum, quo in acutum potius, ac periculosum ueniant morbum: & exinde possit medicina tanquam celerem facilius curare passionem.

Hippocrates.

Dioscles.

Erasistratus.

Fortasse Lisius legendum est.

Lac
σχιστον.

DE VENTRIS DEBILITATE. CAP: IIII.



Tiam hoc quidam symptomatis genus, quod nos accidens appellare poterimus, scripserunt: & aiunt debilitate uentris acceptum cibum plurimo tempore in eodem permanere: aliquando corrumpi: & magis cum intestinum, quod Græci nestin uocant, fuerit quoq; debilitate uitiatum. Fieri etiā inflatione secundum uentrem existente, attestante paruo dolore & rugitu intestinorum, quem borborismon uocant, cum plurimo sputu ac ructatione iugi. Sed erit accipienda curatio ex hijs quæ cum dolore, atq; intestinorum tormento ægrotantibus adhibenda scripsimus.

vōsis.

borborismon.

DE VENTRIS TUMORE AC DURITIA

& uentositate, inflatione, ac saltu CAP: V.



Vmorem uentris extantia sequetur secundum præcordiorum media, resistens atque dolorosa, attestante feruore & iugi saltu, & aliquando febricula, cum fastidio & siti, anxietate, & iactatione. Sequentur etiā uigilia, & cibi corruptio. Sed discernitur à superiorum tumore, hoc est peritonei, siue cutis superpositæ. Primo quod transuoratus cibus uelut percussum præfret circa stomachi finem, uel uentris initium. Secundo quod adducta cutis digitis, conduplicata sequatur: Duritiam uero uentris sequetur extantia, plurimum resistens sine ullo feruore atque pulsū, uel dolore, sed sola spiratione difficili, & dige,

peritonei.

